

servat cardinalis de Luca, loc. cit., n. 11, arbitrio prudentis iudicis relinqui debet; qui consideratis diligenter considerandis omnibus circumstantiis, et qualitatibus personarum, locorum, temporum, et mediis sponsorum iudicabit, an revera exhæreditationis minas patiens statu cadere debeat, necne? si sic, eam a sponsalibus absolvat; si minus, ad nubendum condemnet iudex. Juvat tamen pro majori claritate, et faciliori praxi ex dictis aliqua in specie inferre.

288. *Inferuntur variæ doctrinæ practicæ.* — Inferitur itaque I. ex dictis a num. 227, quod, si puella dives, invitis aut insciis parentibus, alteri pariter diviti, aut pingue officium habenti promittat matrimonium, ad illud ineundum teneatur, etiamsi contradicentes parentes exhæreditationem vel ex toto, vel ex parte minentur, dummodo ostendat sponsus, quod non obstante tali exhæreditatione puellam mediis propriis suis mediis, vel officio, opificio, vel arte statui competente sustentare valeat per dicta n. 282. et seqq.

289. Inferitur II. idem dicendum esse, si pars minas patiens aliunde adhuc media habet, aut certo sperare potest, quæ vel solæ, vel conjunctæ cum mediis, auxilio, arte, et labore sponsi sufficiunt ad vivendum juxta statum. Hinc omnino audiendi sunt sponsi, qui ad adjectas serias, vel simulatas minas exhæreditandi filiam respondent: « ego non curo, nec desidero vestras pecunias; quia possum et volo absque his et me, et illam mediis propriis meis propriis mediis, aut arte, officio, opificio etc. statui conformiter sustentare: » aut si dicunt, et probare volunt, quod puella aliunde adhuc habeat media, quæ vel sola, vel conjuncta cum suis sufficiunt; quorum alterum ordinarie contingit, indeque exhæreditationis minas ordinarie insufficientes esse, patet.

290. Inferitur III. Quod reciproce etiam sponsus non obstantibus suorum parentum minis exhæreditandi teneatur ducere puellam, si hæc vel suis mediis, exhæreditationis effectum resarciat: vel etiam pauperrima ostendere valeat, quod sponsus non obstante exhæreditatione aliunde media habeat, aut mediante officio, arte, labore, etc. habere possit, quæ ad vivendum juxta statum eidem sufficiunt. Id, quod frequenter contingit, adeoque sponso plerumque obligat, ut sponsam etiam pauperem ducere debeant.

291. Inferitur IV. Quod, si puella sponsalia contrahat cum indigno, vel qui officio, arte, et mediis ad sustendam puellam juxta statum, in quo, tempore sponsaliorum existeret, sufficientibus caret. parentum minæ de eadem totaliter exhæreditanda, sufficientem ei præbeant causam resiliendi, non obstante, quod sponsus dicat: « Ego non curo pecunias, nec eas, sed puellam volo; » juste enim reponit puella: « Amice, habe me excusatam, ego non teneor cum status mei interitu tibi copulari, et tecum in paupertate vivere, quæ usque modo in omni abundantia aut sufficientia vivebam. Promisi quidem tibi matrimonium, sed non vidi, nec præcivi, parentes meos, si tibi conjungar, exhæreditatos: unde dimitte me, vel ostende, quomodo statui conformiter sustentare me velis ac possis. »

292. Inferitur V. Idem esse, si sponsus ex eo, quod certæ puellæ conjungi velit, exhæreditandus, aut officio, et inde etiam statu suo privandus foret, puella non habente, unde defectum suppleat, et faciat, ut non obstante exhæreditatione, aut officii privatione nihilominus statui pristino conformiter vivere possent.

293. *Si quis minas et effectum earum, aliudve malum fortunæ ex matrimonio secutorum prævidit, et tamen illud promissis stare tenetur.* — Porro, si pars minas patiens, eas earumque effectum bene prævidit, et multo magis si tempore sponsaliorum eas etiam in pactum deduxit, dicendo, v. g. « scio quidem, ac prævideo, parentes meos summe fore contrarios, indeque me vel ex toto, vel ex parte exhæreditatos, aut omne auxilium mihi denegatos: » aut si dicat: « Etiamsi parentes, vel consanguinei mei essent exhæreditaturi; vel etsi privarer illo officio, gratia etc., consequenter statui meo conformiter vivere non amplius valerem, nihilominus matrimonium tibi promitto, et promissum servabo, licet etiam (uti amore capti plerumque addere solent) tecum mendicare deberem, etc. » tenetur alteri nubere, non obstante, quod propterea statu cadere deberet. Ratio est, quia in tali casu unicam, quæ ipsum excusaret, causam ipsem et annullavit ac infirmavit, juri quoque renuntiavit, quod quilibet potest, c. *Si de terra*. 6. de *Privilegiis*, ibi: « Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare. » Nec amplius habet regressum, qui semel renuntiavit juri suo, l. *Queritur*. § *Si venditor*. ff. de

*Edict.* et l. *Si maritus*. 25. § *Si negaverint*. ff. ad *Leg. Jul. de Adult.*

294. *Ob superveniens impedimentum dirimens solvuntur sponsalia.* — Queritur IV. An, et quomodo solvantur sponsalia ob superveniens impedimentum? Resp. I. Per superveniens impedimentum dirimens, v. g. affinitatem contractam ex copula carnali habita post sponsalia cum consanguinea in primo vel secundo gradu alteri sponsorum juncta, solvuntur sponsalia ex utraque parte. Sanchez, lib. I, disp. 56. Gutierrez, de *Matrim.*, cap. xxxii, num. 1. cum communi aliorum. Ratio est, quia stante impedimento dirimente nec licite nec valide contrahi potest matrimonium. Concilium Tridentinum, sess. 24. de *Reform. Matrim.* cap. iv. Ad impossibile autem nemo tenetur, l. *Impossibile*. ff. de *Reg. Juris*, ergo.

295. *Tenetur tamen impedimentum ex sua culpa ponens procurare dispensationem.* — Resp. II. Tenetur nihilominus is, cui culpa sua fornicando v. g. cum consanguinea sponsæ impedimentum dirimens posuit, propriis sumptibus Roma dispensationem procurare, si pars innocens velit. Sanchez, loc. cit., num. 2; Ledesma, de *Matrim.* q. 43, a. 3, causa 3; Sporer, in *Theolog. Sacram.* p. 4, cap. 1, sect. 2, num. 276. cum communi. Ratio est: tum ne alias ex iniquitate sua commodum reportet, contra dispositionem l. *Non fraudantur*. ff. de *Reg. jur.* Tum quia culpabiliter apponendo impedimentum, injuste læsit jus; alterius consequenter ex justitia tenetur illud reparare, si potest, arg. c. fin. de *Injur. et damn. dat.* potest autem procurando dispensationem; ergo.

296. *Etiam propriis magnis expensis.* — Limitant Sanchez, et Gutierrez conclusionem in casu, quo valde magnæ, et extraordinariæ expensæ essent necessariæ ad obtinendam dispensationem. Verum hanc limitationem rejiciunt Castro Palao, et Ledesma, loc. cit., eo quod jus ad matrimonium in se vera etiam sit magnum, et pretio satis æstimabile, consequenter injuste læsum expensis etiam magis reparari debeat, arg. cit. c. fin. de *Injur. et damn. dat.* Illud communiter etiam adversarii concedunt, quod, si ex non secuto matrimonio emergeret parti innocenti grave damnum in bonis famæ aut fortunæ, ad dispensationem magnis quoque expensis procurandam teneretur.

297. *Quæ tamen raro sunt necessariæ.* —

Verum hæc limitatio doctorum frustranea videtur; eo quod dispensatio in tali casu ordinarie, vel nullis, vel modicis expensis obtineri valeat, hoc ipso, quod ordinarie impedimentum affinitatis proveniat ex copula manenta occulta, adeoque dispensatio non in dataria, sed pœnitentiaria obtineri possit ac debeat. In pœnitentiaria autem dispensationes sine ullo obolo obtineri, et a quovis confessario procurari valeant; dummodo reus modicas postea expensas solvat, ad quas utique tenetur juxta dicta num. 295.

298. *Solvitur instantia.* — Dices: quæ de jure fieri nequeunt, impossibilia censentur arg. l. *Apud Julianum*. ff. de *Legat.* I. Ad impossibile autem nemo tenetur, etsi dispensatione tolli possit, ergo. Resp. Argumentum non procedere, quando dispensatio necessaria est ad resarciendum jus tertii injuste violatum; cum justitia exigat, ut cuius reddatur jus suum modo possibili; consequenter, quia resarciri per dispensationem bene potest, ad eam procurandum utique tenebitur injustus violator, arg. cit. c. fin. de *Injur. et damn. dat.* Resp. Circa impedimenta impediencia tantum, cum ad præsens solummodo votum in quæstionem veniret, de hoc autem an, quando et quomodo sponsalia dirimat, jam supra diximus et adhuc dicemus infra t. VI, « qui Clerici vel votentes » hic nihil amplius repetendum duximus.

299. *Causæ resiliendi tempore sponsaliorum jam existentes, sed latentes, et postea innotescentes, efficaces sunt.* — Queritur V. An hactenus recensitæ dissolvendi sponsalia causæ facultatem præbeant, quando non post sponsalia emergunt, sed prius existebant? Resp. Affirmative, Sanchez, lib. I. de *Matrim.* disp. 63, num. 2; Palao, de *Sponsal.* disp. 1, punc. 29, num. 1; Gutierrez, cap. ccxxxiv. de *Matrim.* num. 2; Layman, lib. V, tract. X, p. 1, cap. ii, num. 19, cum communissima aliorum. Ratio est, quia in jure paria sunt, supervenire aliquam talem causam, et ignoranter præcedere; cum res tunc de jure censeatur fieri, quando innotescit, arg. c. *Pastoralis*. de *Except.* De jure enim paria sunt « non esse, et non apparere, » arg. l. In leg. ff. de *Contrah. Empt.* consequenter, quando causa aliqua latet, censetur nondum esse, et quando dein innotescit, perinde est, ac si de novo superveniret. Hinc in generali, et simplici obligatione non censentur comprehensa ignota illa, quæ cognita ab obligatione contrahenda prudenter avertit.

rent. arg. l. *Obligatione generali*, 6. ff. *de Pignor.* et l. I, C. *Quæ res pignori*, et c. *Veniens de Jurejur.*

300. *Limitatur in fornicatione sponsi antecedente.* — Limitatur tamen conclusio in casu fornicationis, tactuum, et osculorum a sponso ante sponsalia commissorum, juxta dicta a n. 246, ubi etiam n. 247, habes objectionem contra conclusionem ex c. 25. *de Jurejur.* solutam.

301. *Qui defectu occulto nocivo, vel matrimonium notabiliter difficilius reddente laborat, tenetur manifestare, aut a matrimonio abstinere.* — Quæritur VI. An sponsus, vel sponsa laborans aliqua ex dictis causa, aut defectu occulto, qui cognitus a sponsalibus averteret, eo tacito licite possit contrahere sponsalia, et compartem ad executionem compellere? Resp. Si alteruter sponsorum laborat tali defectu, qui mutum noxius futurus foret etiam alteri parti, vel matrimonium notabiliter redderet difficilius, tenetur vel a contractu abstinere, vel illum defectum detegere, sive ante sive post sponsalia emergerit, Palao, loc. cit., punc. 39, numer. 5; Perez, disp. 11, sect. 2, numer. 9; Gobath, tract. X, casu 9, num. 367; Coninck, disp. 23, nu. 10, *Turrian.* Pontius; Sporer, p. 4, cap. I, sect. 3, n. 286, et alii contra Sanchez, lib. I, disp. 68. Ratio est, quia alias in contractu graviter deciperet compartem, et contra justitiam peccaret, sicut qui merces inutiles, aut noxias venderet credenti eas bonas, et utiles esse, l. I, ff. *de Ædilit. edict.* et amplius dictum est lib. III, tit. XVII. *de Empt. et Vendit.* l. XIII. ff. *de Action. Empt. et Vendit.* Hujusmodi defectus esse censentur, « paralyxis, epilepsia, lepra, morbus gallicus » (nisi curetur) vel alius morbus contagiosus; infamia ex genere; vel ex delicto proveniens, imprægnatio sponsæ ab alio facta etc., hæ enim et similia matrimonium revera notabiliter difficilius reddunt, utpote quæ vel generationem impediunt, vel a sociali vita avertunt, vel honestæ educationi prolis officiant, vel aversionem, aut discordias continuas generant, etc. Fatentur nihilominus doctores communiter, matrimonium occulto tali defectu illicitè contractum, esse validum.

302. *Secus, si defectus non nocet, vel tam difficile matrimonium reddit.* — Resp. II. Si occultus defectus ita non nocet, nec matrimonium notabiliter difficilius reddit, licet minus commodum, et appetibile efficiat, non

tenetur eum manifestare laborans illo. Palao, loc. cit., n. 2; Coninck, disp. 23, dub. 12, Concl. 1; Sporer, loc. cit.; Pontius, lib. XII, cap. XVIII, num. 6. et reliqui num. præced., citati, cum communi aliorum. Ratio desumitur ex consuetudine et communi consensu, quo receptum habetur, quod nec in sponsalio, nec in aliis contractibus leviores defectus invicem manifestentur, indeque sibi adscribere quævis pars debeat, si de illis sufficienter non indagaverit. Hujusmodi defectus leviores dicunt doctores præfati, esse, si sponsa ante vel post sponsalia fuit fornicata; si alteruter sit deformis, pauper, aut ignobilis, tamen credebatur dives, aut nobilis: item si habet deperditos mores, quos proponit corrigere, etc. Imo addit Palao, loc. cit.; Sanchez, lib. VI, disp. 27, num. 9. Sponsam recens nuptam, quæ virgo putabatur, et tamen est corrupta, licite posse uti mediis aliquibus ad suum vitium occultandum, ne a viro deprehensa male tractetur; quia per hoc viro non nocet, nec facit injuriam, et sibi favet.

303. *Imo tali minori defectu laborans, potest cogere compartem ad servanda sponsalia.* — Resp. III. Si alteruter sponsorum laboret defectu occulto leviori juxta num. præced. potest insuper cogere compartem ad servanda sponsalia: secus, si laboret defectu occulto matrimonium notabiliter difficilius reddente: ita citati doctores. Ratio prioris partis est, quia, cum laborans occulto defectu minus nocivo sine peccato injustitiæ sponsalia valide contrahat, indeque jus ad matrimonium acquirat, utique ad illud cogere potest; quia jure suo uti, illudque prosequi quivis potest, per vulgaria. Ratio secundæ partis patet, quia hoc ipso, quod, uti ex num. 301 supponitur, ipsemet contrahere sine peccato injustitiæ non possit, alterum ad secum contrahendum adigere non valet. Plura de hac utpote magis theologica quam juridica quæstione, potiusque internum, quam externum forum concernente, vide apud doctores citatos.

304. *Qui sciens defectum in aliquo, tamen cum ipso sponsalia facit, censetur renuntiare juri suo.* — Quæritur VII. An, et quando in casu existentis causæ dissolvendi sponsalia, censeatur pars altera renuntiare juri suo, quod habet ad dissolvenda sponsalia, præsertim an eidem renuntiet per fornicationem cum sponsa, postquam defectus innotuit, habitam? Ante responsionem notandum,

sicut in aliis, ita et in puncto dissolvendi sponsalia, quemvis posse renuntiare juri suo, arg. c. *Si de terra*. 6. *de Privileg.* Tacite vel expresse, verbis vel factis. Verbis expresse renuntiat, si cognito defectu alterius dicit, se eo non obstante velle eidem nubere. Facto expresse renuntiat, si cognito prius latente, vel primum superveniente defectu eidem nihilominus actu nubuit. Idem facere censeatur, qui ante sponsalia contracta defectum seu causam alias ad solvendum sufficientem, in altero bene scit, et tamen sponsalia cum eo contrahit; talis enim ob hujusmodi defectum prius jam cognitum sponsalia solvere minime potest; nam semper juste reclamatur pars altera dicendo: tu me ita constitutam optime sciebas, et tamen sponsalia necum ut tali contrahebas, consequenter mihi ut tali nubere debes, « scienti enim, et consentienti non fit injuria, neque dolus; » c. XXVII. *de Reg. jur.*, in 6. Et hæc omni controversia carent. Hinc quæstio sola remanet, an, et quando per subsequentem fornicationem tacite censeatur renuntiare juri suo? Ad quam:

305. *Sicut etiam qui post patefactum defectum occultum fornicatur cum eo.* — Resp. Si sponsus vel sponsa post cognitam causam de novo advenientem, aut prius latentem, copulam habet cum sua comparte, tacite censeatur renuntiare juri dissolvendi sponsalia. Bosco, p. V, disp. 11, sect. 2, concl. 13; Sanchez, lib. I, disp. 66; Tambur., tract. III, cap. v, § 9, num. 4. Leyman, lib. V, tr. X, p. I, cap. II; Sporer, loc. cit., num. 283, cum communi. Probatur conclusio, quia ipsi etiam conjuges matrimonio jam juncti consensu causæ divortii per copulam carnalem censeatur renuntiare juri petendi divortium, et accusandi compartem de adulterio commisso, arg. l. *Si uxor*. 13, in fine, ff. *ad Leg. Jud. de Adult.* et l. *Crimen. ad Leg. Jul. de Adult.* Ergo similiter sponsus tali copula perdit jus resiliendi a sponsalibus. Verum quia paritas bene negari potest, hinc minus efficacem agnoscit hanc probationem Bosco. Probatur igitur ratione, videlicet, quia, si post cognitam talem causam nihilominus carnaliter conjugatur sponsæ, merito præsumitur affectu sponsalio id facere, eodemque, id admittere sponsa.

306. *Limitatur pro foro interno.* — Limitatur tamen conclusio quoad forum internum in casu, quo quis revera non animo sponsalio, sed solo fornicario copulam habet, mi-

nime intendens juri suo renuntiare, Tamburinus, Sporer, loc. cit., contra Sanchez, loc. cit., n. 3, quia in foro interno præsumptio cedit veritati; « per vulgaria: » consequenter cum præcipuum fundamentum conclusionis consistat in præsumptione, eo cadente, cadit et ipsa in foro interno, quamvis in externo foro non crederetur.

307. *Solvitur objectio.* — Nec dicas cum Sanchez, conjux etiam in foro interno perdit jus petendi divortium, etsi non habeat animum remittendi tale jus: ergo idem est de sponsis resp. enim negando consequenter cum paritate. Disparitas est, quod circa conjuges habeamus claram legis dispositionem, non item circa sponso, utpote circa quos in sola præsumptione consistit potissimum argumentum.

308. *Ad solvenda sponsalia ex justa causa per se non requiritur auctoritas judicis.* — Quæritur VIII. Utrum ad solvenda sponsalia opus sit auctoritate judicis? Resp. I. Per se loquendo nulla de jure communi requiritur auctoritas judicis ad solvenda sponsalia sive publica, sive occulta, quando causa dissolvendi est certa. Sanchez, lib. I, disp. 69, num. 2; Gutierrez, *de Matrim.*, cap. xxxv, num. 4; Navarrus, in *Man.*, cap. xxii, num. 28; Sylvester, *de Sponsalia*, q. 11; Bosco, loc. cit., concl. 11, cum communi aliorum. Ratio est, tum quia judicis auctoritas nullibi in jure requiritur; tum quia sponsalibus tacita inest illa conditio: « Si res in eodem statu permaneat; sive nisi justa causa dissolvendi interveniat. »

309. *Bene vero per accidens.* — Dicitur autem notanter per se, quia per accidens ratione scandali v. g. bene contingere potest, ut necessaria sit judicis auctoritas; sic, quando sponsalia sunt publica, causa vero ea dissolvendi est occulta, ratione scandali evitandi requiritur judicis interventus, ut bene advertit Sanchez, loc. cit., num. 6; Gutierrez, loc. cit., num. 6; Sylvester, loc. cit., et alii communiter; quia scandalum semper, et pro possibili avertere oportet. Si tamen causa certa ita esset occulta, ut eam probare innocens non valeret, posset sine ullo peccato propria auctoritate resiliere; prout loc. cit., bene observat Sanchez. Tum quia talis utitur jure suo: tum quia, si ipsemet instantiam faceret, in probatione deficiens ad nubendum cogere.

310. *Et de jure speciali diocesium, præsertim Frisingensis, quando sponsalia sunt pu-*